DE

SINGULARI EPIDERMIDIS DEFORMITATE.

DISSERTATIO
INAUGURALIS ANATOMICO PATHOLOGICA,
QUAM
CONSENTIENTE GRATIOSO MEDICORUM ORDINE
IN
UNIVERSITATE LITTERARUM BEROLINENSI
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI DEFERANTUR
DIE X. M. JULII A. MDCCCXXVIII.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENSURUS EST
AUCTOR

AUGUSTUS FRIDERICUS STEINHAUSEN,
BLANKENBURGENSIS.

OPPONENTIBUS:
F. BOENTEN, MED. UTR. DR.
E. GABLER, MED. UTR. DR.
C. KREBS, MED. UTR. CAND.

ACCEDIT TABULA AENEA.

BEROLINI,
LITERIS AUGUSTI PETSCHII.

INTRODUCTIO.

Cutis humana, quod inter omnes constat, variis obnoxia est mutationibus, quarum aliae, certum habentes typum, brevi tempore finiuntur et vel integram reddunt valetudinem, vel in alios abeunt morbos; aliae vero, typi expertes, longinquum emetiuntur cursum saepeque omnibus reluctantes remediis, ad mortem, serius ocius irruentem, protrahuntur. Communi exanthematum nomine istae cutis mutationes significantur nostratibus, ita ut, quae typum certum sequuntur, acuta, quae non sequuntur, chronica appellentur. Majorem tam physiologorum quam pathologorum attentionem eae cutis mutationes requirere videntur, quae exanthemata chronica, seu impetigines vocari solent, quippe quae non solum multo majores offerunt varietates, verum etiam penitioribus nituntur causis pertinaciusque curantium conatibus resistunt. Quanquam recentiores medici multum dederunt operae, ut omnes morbi exanthematici quoad singularem formae indolem in certos atque stabiles redigantur ordines [1]), neminem tamen ignorare puto, peculiares quasdam cutis degenerationes quandoque offerri, quibus locus certus inter exanthematicorum morborum ordines assignari nequeat. Proinde quaeritur, num exanthematibus sint adnumerandae, nec, ne? Illam scilicet innuo cutis turpitudinem, qua vel crustae magnitudinis formaeque insolitae, vel excrescentiae tuberosae et spinosae, vel laminae ingentis crassitiei exhibentur, ita ut cuticula, actis rimis, fere loricae instar corporis superficiem tegat. Non desunt, qui mirificas cutis crustas, squamas et excrescentias spinosas descripserint, at cutem quasi loricatam, si duo forsan exempla excipias, quorum infra mentionem faciam, modo infanti cuidam propriam esse video, cujus descriptionem in hocce opusculo proponam. Asservatur nimirum in Museo anatomico nostro infans, prodigio illo conspicuus, quem Illustr. *Rudolphi* insigni humanitate mihi commisit, ut descriptionem ejus exhiberem iconemque aeri incisam dissertatiunculae adderem. Ne nudum nimisque brevem visorum enumerationem apponerem, sed ornamenti aliquid libello conciliarem, exempla aliquot similia, ab aliis tradita, adjunxi, et quae passim de causis hujusce degenerationis singularis inveni, adspergere non dubitavi, sperans, fore, ut pauca, quae e proprio desumsi penu, candidis lectoribus non prorsus displiceant.

---

1) a. *Willan* die Hautkrankheiten und ihre Behandlung a. d. Engl. übersetzt von *Friese*. Breslau 1799.

b. Practische Darstellung der Hautkrankheiten nach *Willans* System; bearbeitet von *Th. Bateman*, übersetzt von *Hahnemann*.

CAPUT I.

DESCRIBITUR CUTIS DEFORMITAS SINGULARIS EAQUE HEREDITARIA.

Quae hocce in capite proponuntur, brevem exhibent epitomen historiae duorum juvenum, peculiari cutis degeneratione conspicuorum, quae a progenie ad progeniem, nimirum ab avo ad nepotes per hereditatem propagata esse traditur. Plenam utriusque juvenis historiam atque descriptionem, adjectis iconibus illustratam, exaravit *Tilesius* [1]), cui fere omnia hic apposita deberi, ingenue confiteor.

Saeculo superiori in Britannia exstitit familia *Lambert*, cujus parentem Angli the Porcupine-Man (virum hystricem) appellarunt eandemque denominationem ad prolem ejus virilem transtulerunt, quippe quae perinde ac parens, cutis deformitate specifica insigniebatur. Hujus familiae parentem, quatuordecim annos natum, primus descripsit *Machin* [2]) addiditque delineationem dorsi manus et aculeorum microscopio examinatorum; filium ejus descripserunt *Edwards et Baker* [3]), adjecta volae manus delineatione, at neutra descriptionum atque delineationum teste *Tilesio* arbitrorum desideriis satisfacit. Contigit demum, ut anno millesimo octingentes. primo uterque filius illius viri, quem *Edwards et Baker* descripserunt, ad Germaniam transferrentur Lipsiaeque commorantes asse oblato adituris commonstrarentur. Ibidem *Tilesio* obtigit, ut non modo cutis deformitatem accurato submitteret examini, verum etiam icones conficeret, quibus librum suum exornaret. Ante dictis elucet, jam avum atque patrem juvenum eodem laborasse malo, num atavi etiam laboraverint, silentio praetermittitur. Neque ad prolem muliebrem haec deformitas hereditaria transit, nec in utero corripit virilem, sed tertio post partum mense degeneratio cutis, primo quidem in partibus vestitu obvelatis, apparere solet. Uterque fratrum, de quibus hic agitur, speciem prae se tulerunt vegetam vultumque alacrem; major natu, *John Lambert*, annum agens vicesimum secundum, staturae fuit procerae corporisque robusti; natu minor, *Richard Lambert*, annorum tredecim, satis quidem procerus, at minus robustus fratre. Septem iis fuerunt sorores, vultu quidem fratribus simillimae, sed omni vestigio deturpatae cutis destitutae. — Omissis reliquis, ad horum juvenum educationem, vitae genus et ingenii dotes pertinentibus, ad cutis ipsius descriptionem gradum faciam.

Tilesius enim, inopinatus, inquit, adspectus utriusque hominis nudi, crusta nigra et aculeata obsiti, cuique coloris varietatum ignaro plus pavoris incutiet, quam Aethiopis conspectus. —

Praeter faciem, manuum volas pedumque plantas, colorem naturalem offerentes, totum corpus nigrum, aut sordido cinereum, cortice crasso, aspero, rimosoque obducitur. Errant autem, qui opinentur, cutem fuscam, vel nigram densis aculeis, more hystricis vel herinacei esse obsitam. Epidermis naturali indole caret, est enim callosa et aspera, ubique fere involucro nigricante obtecta, quod pau-

---

[1]) Ausführliche Beschreibung und Abbildung der beiden sogenannten Stachelschweinmenschen aus der bekannten englischen Familie *Lambert*. Altenburg 1802.

[2]) Philosophic. Transact. A. 1731.

[3]) Philosophic. Transact. A. 1755.

latim ita crassescit, ut corticem aequet nigrum atque rigentem, cutis expansione corporisque motu rimas agentem. Hinc totidem oriuntur fragmenta variae figurae et magnitudinis, quot lineas atque incisuras epidermis offert. Neque indoles, neque durities hujus involucri ea est, ut aculei, vel spinae corneae oriantur; massa enim, si ex adspectu tactuque judices, minus cornea, quam calcarea, rigida et fragilis, muci adipisque admixti causa non omnis mollitiei expers est, ut, si digitorum apicibus comprimatur, unguium impressiones relinquantur. Fragmentorum bases, epidermidi firmiter adglutinatae, inter se quoque cohaerent, quoniam strata inferiora, epidermidi propiora, cutis transpiratione humectantur et ab arescentia defenduntur; exteriora hujus corticis nigra, interiora lucida sunt, quibus reputatis facile nobis persuadebimus, viros potius crustaceos, quam hystrices appellandos. Autumno alia virorum species est, quam reliquis anni temporibus, siquidem crustae, maximam crassitiem adeptae, delabuntur, superficies inde maculata, impetiginosa apparet. Epidermis, quae crustis dejectis involucrum novum squamosum, verrucosum offert, passim valles efficit profundas, stratis crassioribus aut tenuioribus fragminum crustaceorum interceptas; stratorum ordo triplex, aut quadruplex videtur, particulae hic illic longiores prominent. Ea crustarum fragmina, quae cum aculeis aliquomodo possint comparari, cutem corporis tenent plicatam et rugosam, v. c. circa ventrem et dorsum, brevia autem sunt et parva, basibus non cohaerent, sed seorsim exstant super crustis epidermidi insidentibus. Cutis papillae, s. granula, ubique nigro teguntur involucro, cujus superficies squamarum formam aemulatur et ubi crassescit, corticem granulosum super papillis cutaneis conformat. Cortice digitis elevato et in plicam coacto, crustae aculeatae ita divaricantur, ut epidermidem conspicias; aculeis aliquot crapulo evulsis, sanguis fluxit; squamulis lanceolae apice elevatis, tela cellulosa albida, farinacea, quae videtur, in epidermidis superficie remanet. Quum solo obtuitu tantum exterior crustae superficies observetur, modo apices fragmentorum, non bases concretae apparent, quibus fit, ut cutis tota aculeis spinisque seorsim exstantibus obsessa videatur. Fragmenta multifida propter bases latiores, quibus affiguntur epidermidi, multo firmius diutiusque haerent, quam cuspides singulares, circa ventrem dorsumque obviae; hae enim, quo longius increscente involucro tenui, iis subdito, a corporis superficie removentur, eo magis siccescunt et delabi conantur, illa magis deteruntur apicibusque privantur, quo plura sub iis strata nascuntur. Ordinis secundi crustae, i. e. non fissae, sed laminam referentes continuam, ipsi epidermidi affixam, modo in partibus parum motis et contractis inveniuntur, ut pectore medioque dorso; reliquis in partibus, motui majori et corrugationi obnoxiis, crusta maximam partem simplex apparet, at non minus crassa, superne fissa, inferne continua. Quodsi fragmentum, epidermidi adglutinatum, crapulo revellitur, epidermidis particulae ei inhaerescunt, cutis sanguinem fundit et post horas aliquot crusta sanguinis tegitur vulnus, quamobrem nonnulli putant, non modo crustam inhaerere epidermidi insensibili, sed per lineas sulcosque ejus cum muco Malpighii et corio commercium alere vasisque hujus sanguiferis haud dubie gigni ac nutriri; quod necesse non est, etenim si divellitur cuticula, insimul surculi venosi cutanei, propter immediatum cutis et cuticulae commercium, rumpuntur redduntque sanguinem. Mirum vero est, pilos cutaneos per multa fragmina, epider-

midi firmiter adglutinata, succrevisse; nonnulli eorum cum substantia crustarum interna tam tenaciter coaluerunt, ut illis ablatis et ipsi radicitus evellantur. Hoc ita explicandum videtur, ut crustam inter exordia non eandem soliditatem atque duritiem habuisse, sed molliorem, fórtasse subliquidam fuisse, statuamus. — Est autem inter tegumentum crustaceum utriusque fratris mira diversitas: natu major enim ubicunque (excepta facie, manuum volis pedumque plantis) tegitur crustis, ne partes quidem genitales integrae sunt; minor natu non solum hic illic, praesertim in anteriori corporis superficie, nuda exhibet loca, sed crustae quoque multo tenuiores sunt, quam fratris, nullibi duplex crustarum stratum potest distingui. Idem a vertice inde ad frontem usque crustam offert, lamellis planis compositam, quae, si discedas a nigro colore, similitudinis aliquid cum tinea capitis prae se gerit longeque a crusta spinosa reliqui corporis distat. Omnes partes, quae aut vestimentis saepius teruntur, aut desidendo premuntur, vel nudae apparent, modo callosa cute munitae, vel crustis tenuibus lamellosis obsitae, ut nates, cubiti, surae, scapulae etc. Praeterea tota cutis in multas plicas callosas est coacta, corpusque teneriori aetate dispositione rhachitica laborasse videtur, quod ingens capitis ambitus, columna vertebralis, venter tumefactus et crassi articuli nobis persuadent.

Tilesius non modo utriusque juvenis iconem integram, sed etiam singulares corporis partes, ut pollicem, frontem et crustas aliquot dejectas ad naturam delineavit, ut omnia clare perspiciantur.

CAPUT II.

AGITUR DE INSOLITA EAQUE NATIVA CUTIS DEGENERATIONE.

Hinze[1]), qui hoc exemplum memoratu dignissimum observavit, haec fere tradit. „Mulier triginta quatuor annorum, tres enixa infantes, quartum subiit puerperium: Inter graviditatem, solito more succedentem, nec venam incidi curaverat, nec catharticum, nec aliud quoddam medicamentum hauserat; in deliciis habuit cibos, acidos intensius salitos, quos ut melius digereret, singulis diebus unum alterumve spiritus frumentacei cyathum sumsit. Corpus mulieris formosum, cutis integra, omnis impetiginis expers, dentes albi, venter mollis, menstruatio citra graviditatem normalis, digestionis opus integrum fuerunt, verumtamen propensio ad pertinaces alvi obstructiones, fibrae magis rigidae quam laxae, temperamentum sanguineo-cholericum exstiterunt. Nunquam morbis gravioribus, saepius autem fluore albo, forsan venereo, laboraverat; ceteroquin autem cum evidentia dirimi nequit, an lue syphilitica et quanto ejus gradu fuerit infecta, quum neque ipsa, neque medicus, quem consuluerat, certi aliquid indicare possent, aut vellent. Quocum ante et inter novissimam graviditatem exercuerit coitum, (maritus enim perpetuae ebrietati deditus erat) utrum pater infantis sanus fuerit, nec ne, suspicari tantum, non decernere licuit. Mulier neque terroris, nec stomachationis, nec ullius animi pathematis, adspectu hominis deformis excitati, meminerat. Quae cum ita essent, molimina ad partum apparuerunt alteroque mane profluxerunt aquae, et infans pelvim

[1]) *Aug. Hinze's* kleinere Schriften etc. Liegnitz und Leipzig 1820. Bd. I. pag. 35.

intravit minorem. Obstetrix, quae jam antea insolitas capitis eminentias et asperitates detexerat, iterata exploratione evidentius sibi persuasit, cutem capitis parum pilosam, solito duriorem atque solidiorem, quasi corneam aridamque, sueti tumoris expertem, juxta suturam sagittalem et circa os temporum sinistrum multis rimis ac fissuris, ad pericranium fere descendentibus, esse obsessam. Quo magis caput validis moliminibus propellebatur, eo luculentius fissurae ubique apparuerunt, quae, exclusis omnibus partibus et accedente aëre externo, extendi latiusque hiare videbantur. Obstetrix, terrore perculsa, postquam infantem abluerat, funiculum umbilicalem substrinxerat matremque placenta liberaverat, chirurgum arcessi jussit, qui cutis deformitatem Elephantiasis nomine designavit, omniaque ad alendum infantem necessaria administravit. Post biduum ab itinere redux, rem comperi (*Hinze*), tot tantisque figmentis atque commentis deturpatam, ut ne unum quidem criterium reperirem, quod fama adscripsit infanti. Puerpera bene valuit: lochia rite fluxerunt, venter doloris atque tendoris expers, pulsus mollis et aequabilis, caput leve, lingua pura humidaque, sitis modica fuerunt. Excretio alvina, post partum retenta, enematibus fuit citata; mammae modicam obtulerunt tensionem, febris lacteae nullum apparuit vestigium, etenim puerpera, infantibus mammas non praebere solita, jam usa erat medicaminibus lac pellentibus, nimirum spermate ceti cum camphora; neque vires ejus exhaustae fuerunt, quum partus facilis brevi tempore esset absolutus. Locatus erat infans in cubiculo altero, vivus adhuc, sed infirmissimus. Antequam lintea eum involventia demebantur, obstetrix praeter alia jam cognita retulit, infantem primo nycthaemero alacerrimum fuisse, saepius clara voce conclamasse, urinam misisse, meconium dejecisse, sine difficultate lac et aquam cupide hausisse, at neque oculis, neque naso, nec auribus esse instructum, squamas cutis ac rimas, inter et post partum circa caput, faciem collumque exortas, per totum corpus esse diffusas, fissuras saniem purulentam foetidamque reddere, dolores infantis magnos videri; per duodecim horas, increscente malo, corporis infirmitatem augeri, clamores abiisse in vagitum, deglutitionem adeo esse difficilem, ut lactis aliquid aegerrime possit ingeri. Quibus relatis lintea expandi jussi, ut deformitatem oculis intuerer. Tota corporis superficies, horrendum visu, a vertice inde ad pedum plantas obducta apparuit cute coriaceo-flava, solida, cornea, hic illic nodosa et aspera, passim laevi et frigida. Haecce cutis degenerata ubique rimas obtulit magis minusve profundas, altissimas ad ipsa ossa descendentes in utroque carpo et malleolo, e quibus major minorve copia saniei sanguineae, purulentae, odorem spargentis foetidum, cadaverosum, profluxit. Passim non modo cutis fissa, sed orae fissurarum, velut ulcerum phagadaenicorum, erant reflexae et circa malleolum internum externumque utriusque pedis ossa nuda per rimas conspiciebantur. Cutis, in multas insulas isthmosque divisa, ita erat elevata, ut nullibi epidermis a corio diduceretur, color capitis paucis capillis obsiti, faciei collique cinereus et lividus, fissurae jam aridae atque corneae cernebantur. Meconium per lintea diffusum, coloris soliti sordido viridiusculi fuit, urina clara et inodora secessit. Praeter hanc cutis alienationem aliae anomaliae, partim nativae, partim morbo inductae, ut videbatur, notatu dignum exstiterunt: utramque palpebram tenuit ectropium, a vulgari ectropio ita diversum, ut palpebrae superiores, non inferiores, extrorsum essent conversae oculique velut membrana cruenta superinducti vide-

rentur. Hanc ob rem palpebrae difficillime, nonnisi circa angulum oculi internum, poterant reserari, quibus diductis oculi cyanei, rite conformati planeque integri conspiciebantur. Labium superius tumefactum et reflexum, alae nasi distractae itaque nasus planus atque turpis apparuerunt. Utraque auricula, excepto trago et parte antitragi exigua, adeo lacera fuit, ut vix helicis et anthelicis vestigia invenirentur, sed ostia rotunda nudaque spectantibus offerrentur. Os, palatum, fauces, gingivae et lingua colorem intense rubicundum, sed nihil abnorme exhibuerunt; genitalia quoque muliebris infantis ad naturae normam responderunt. Deformes autem tumidique pedes et manus fuerunt; tumor a carpo orsus et per dorsum manus ad primam digitorum phalangem porrectus, effecit, ut digiti modo duabus phalangibus consistere aviumque ungues imitari viderentur. Eadem pedum ratio fuit, quos fama Gryphium unguibus similes tradidit. Nihilosecius ambo pedes manusque bene fuerunt efformati eorumque cutis nondum egerat fissuras, ea autem extremitatum species fuit, ac si in omnibus earum ossibus paedarthrocace vigeret atque ulceratio immineret. Orificium ani solitum tenuit locum et sphinctere clausum apparuit, reliquae corporis partes nullam obtulerunt abnormitatem; pondus infantis libras octo et uncias sex, longitudo pedes duos pollicesque tres adaequavit. Quarto post partum die obiit infans, incisio cadaveris autem institui non potuit, quoniam chirurgus supra memoratus cadaver a parentibus obtinuerat, ut in spiritu vini positum asservaret." —

Hinze delineari curavit infantem tabulaeque aeneae incidi; manus autem inhabilis stylum agitasse videtur, etenim iconis nec elegantia, neque perspicuitus est; striae rubicundae, per corporis superficiem discurrentes, speciem adeo miram referunt, ut multo similiores vasis sanguiferis appareant, quam rimis atque fissuris.

CAPUT III.

ADSPERGUNTUR NONULLA DE CUTIS DEFORMITATE PASSIM TRADITA.

Brambilla [1]) descripsit puellam, annos duos novemque menses natam, cute nigerrima obtectam, quae a collo ad pedem plantas porrigebatur, dura erat atque aspera cuti elephantinae similis. Nudis oculis conspiciebantur puncta nigra, maxime constipata, quae, oblonga instar setarum resectarum, elevata instar granorum miliaceorum, totam corporis superficiem tegmine crustaceo obduxerunt.

Infans nec manibus quidquam prehendere, nec pedibus ambulare voluit; quoties vel hoc vel illud moliebatur, cutis egit rimas, decem ad duodecim lineas in longitudinem patentes, quae sanguinem ediderunt multosque dolores excitarunt. Facies album retulit colorem. Puella sana fuit, cutis inde a partu normalis, post sextam demum hebdomadem colore fusco propriaque deformitate notabatur. Pater infantis scrofulosi laboravit. *Brambilla* morbum pro vera habens elephantiasi, unguentum mercuriale inunxit balneaque administravit et puellam feliciter curavit.

Tilesius [2]) retulit de homine quodam adulto, cujus superficies ubicunque verrucis

---

1) In d. Abhandl. d. med. chirurg. Akademie zu Wien. 1787. Bd. I.
2) Historia patholog. cutis turpitudinis *G. Rheinhardi.* Lips. 1793.

verrucis fuit deturpata, variam magnitudinem, partim pisi, partim ovi columbini, adaequantibus. Circa pectus excrescentia bursiformis cernebatur, a processu xiphoïdeo sterni ad umbilicum descendens, humoremque purulentum edens.

Bartholinus [1]) cutem hirsutam hisce descripsit verbis: „puellam sex circiter annorum Hafniae vidi et postea in Belgio, quam parentes circumferebant et cuivis soluto pretio monstrabant, toto corpore hirsutam, pilisque candicantibus horrentem. Ex aurium quoque cavitate interna cirrhi longiores propendebant haud inelegantes, mentum barbatum, pilis ejusdem candoris manum transversam demissis. In praedio nobiliss. matronae Marsina in Tionia nostra non dissimilis mulier degebat, pulchra facie, sed barba prolixa, flavente et lunata. Visitur Bononiae in Museo Aldrovandi effigies feminae, similis Helveto maxime barbato. In Gynaeceo Archiducis Austriae visa quoque pridem juvencula triginta annorum, quae a teneris annis ante mensium eruptionem barbam, viri in morem promissam, cum mystacibus alebat. Alioquin glabro feminae nitent mento."

Willan [2]) de ichthyosi haec proponit: criteria ejus cernuntur in textura aspera, sicca, squamosa, interdum fere cornea corporis integumentorum, cum internis affectionibus nihil commercii habente. Psoriasis et lepra ita differunt ab hoc vitio, ut modo particulares sint squamasque facile delabentes habeant. Malum nunquam est hereditarium; supervenit alicui secundo anno post variolarum insitionem et septem per annos tenuit. Accolae Paraguae teste *Buffon* [3]) ichthyosi creberrime obnoxii sunt: „il regne parmi eux une maladie extraordinaire; c'est une espèce de l'épre, qui leur couvre tout le corps et y forme une croute semblable a des ecailles de poisson; cette incommodité ne leur cause aucune douleur ni même aucun autre derangement dans la santé."

Bateman [4]) criteria, inquit, ichthyosis sunt: integumenta condensata, dura, aspera quandoque cornea, ad squamas conformandas opportuna, expertia autem exfoliationis. Idem distinguit ichthyosin simplicem et corneam, quarum hanc integumenta corporis rigida et cornea, interdum excrescentias telae corneae, illam modo epidermidem asperam crassamque offerre tradit. Procedente, ait, tempore condensata majora et verrucosa, colorem fere nigrum evadere; asperitatem, quae tanta sit, ut, si digitis superficiem permulceas, limam te tangere existimes, multis punctis asperrimis, per superficiem diffusis, originem debere; passim, v. c. circa malleolos, interdum excrescentias planas latasque animadverti, imbricum, vel squamarum piscium ad instar locatas; nonnunqam apparere disjunctas, rimis albidis interceptas.

Quanquam bene intelligo, multa propositorum a singulari integumentorum deformitate, quam descripturus sum, magis minusve esse aliena, nonnulla tamen analogiae causa memoratu haud indigna esse, persuasissimum habeo.

---

1) Historiarum anatom. rarior. Centur. I et II. Histor. 42.

2) L. c. Bd. II. pag. 143.

3) Histoire naturelle, Tom III. pag. 507.

4) L. c. übers. v. Sprengel pag. 90.

CAPUT IV.

EXHIBETUR DESCRIPTIO INFANTIS, IN MUSEO ANATOMICO NOSTRO ASSERVATI.

Degenerationem integumentorum externorum, qua infans iste insignitur, non minus raram singularemque iis esse existimo, quas in primo et secundo capite descripsi. Interfuit quidem, ut de parentum vita et constitutione, de matris graviditate aliisque rebus prolixius dissererem, quum autem exteris parentibus infans natus sit, paucissimis contentum esse me oportebat. Mater infantis, quod comperi, mediae aetatis est integraque valetudine perfruitur; graviditas sine singulari mutatione, aut incommodo cessit; infans tres et dimidium diem nata, animam exspiravit.

Infans sexus est sequioris, longitudinem fere pedis ac dimidii, pondus circiter librae unius dimidiaeque adaequat; adspectus is est, ut totum corpus loricatum putes. Caput figuram paene globosam offert pilisque raris est obsessum; oculi palpebris muniti haud desunt, palpebrae tamen exiles, degenerationis universae integumentorum participes; auricularum vestigia desiderantur, etenim locum earum excrescentiae tuberosae, corneae, fere cartilagineae tenent, meatus auditorius externus neque oculis, neque specillo potest investigari. Nasus parvus exstat et compressus, nares solitam sequuntur normam; os sueto more patet linguamque naturalem conspici patitur, labia parum prominentia, extrinsecus tegmine crasso, calloso deturpata sunt, quo modo interior pars, epithelio rubicundo obduci solita, destituitur. Collum loricis fere denudatum apparet, quum crebrior ejus motus haud dubie squamas excusserit, etenim fragmenta squamarum et cutis, quae conspicitur facile indicant, tegmentum praeternaturale adfuisse. Epidermis totius superficiei crassissima et callosa, in squamas fissa est irregulares, inter quas altae rimae, magis minusve hiantes, ad cutem usque descendunt. Squamae vel majores, vel minores sunt, maximae in dorso, brachiis et manibus, cruribus atque pedibus, minimae in capite, pectore, ventre infimo, circa anum et genitalia. Callosae sunt, durae, propemodum corneae, passim cartilagineae tactu, linearum aliquot crassitiem aequant duasque referunt laminas, luculenter distinguendas, quarum inferior mollior tenuiorque est superiori. Durities maxima, fere cartilaginea reperitur in regione auricularum deficientium, infra nasum, circa mentum et infra umbilicum; quo minores, eo duriores squamae esse solent et vice versa; crassiores in dorso, pectore et capite, tenuiores in pedibus eorumque plantis, manuum digitis atque volis exstant. Lamina superior ubique ab inferiori facile diducitur ejusque superficies aversa innumeris cuspidibus, pilorum brevium similitudinem referentibus, obsessa est, in totidem foveolas sese insinuantibus, quas superficies adversa laminae inferioris exhibet. Cutis etiam superficies multos colliculos foveolasque offert, iis respondentes, quae in facie aversa laminae inferioris animadvertuntur. Lamina superior tegminis degenerati passim in plures lamellas diduci posse videtur; generatim autem lamina utraque, maxime superior, multis sqamulis, imbricum ad instar locatis, componitur. Quum dorsi, brachiorum et crurum squamae maximae sint, prae ceteris hae partes loricatae apparent. Utraque manus super-

ficies habet tumidas et callosas quinisque gaudet digitis, quorum pollices minimi sunt, manus dextrae maximus annularis, sinistrae annularis et auricularis. Pedes eandem ac manus indolem habent, digiti eorum numero absoluti, pollices tamen mutili et informes sunt. Orificium ani minimum exstat, labia pudendi majora et minora rite exculta, illa autem pariter callosa, ac reliquae corporis partes exteriores, inveniuntur.

Quodsi cutem, utrique sqamarum laminae subjectam, intuemur, nihil anomali observamus, quamobrem ratiocinari licet, solam epidermidem deformitatis illius causam exhibere, de qua infra nonnulla subjiciam.

CAPUT V.

DE INTEGUMENTORUM DEFORMIUM GENESI ET CAUSIS DISSERITUR.

Tilesius [1]) satis multa de crustis hominum, quos hystrices viros Angli vocabant, apposuit, quae breviter memorabo. „Crustis, inquit, passim detractis, cuteque microscopio examinata, poros ejus partim obturatos, partim materie tenaci, spissiuscula impletos reperi, plerique autem difficiles erant cognitu; microscopium ubique altas cutis rimas obtulit, partim materie ante dicta repletas; proinde non improbabile videtur, hanc materiem paulatim indurescere crustasque fingere; quaeritur autem, qualis sit illa materies et unde proficiscatur? Diligenti examine crustas modo ad epidermidem descendere, hanc vero ubique crassissimam, duabus tribusve lamellis compositam, callosam rimosamque existere, observavi. Materies ergo, crustas conformans, quum initio liquida sit, modo per epidermidem scaturire potest, cujus orificia vel poros exhalantes, vel ostiola excretoria folliculorum sebaceorum sistunt; utrum pori absorbentes dentur, nondum est evictum, resorptio enim actione antiperistaltica pororum exhalantium fieri potest. Quidquid demum sit, poros cutaneos fontem substantiae crustaceae suppeditare, merito dubitandum, quum enim humorem aquosum (sudorem) edere soleant, quaestio obtruditur, numne materies tenax, poros obstruens, per epidermidis fissuras propullulaverit? Anatomia cutis et natura callorum, rimarum atque fissurarum, defectum contractilitatis comitantium, haud dubie lucis aliquid suppeditabunt. Epidermis cum muco Malpighiano et corio per poros, folliculorum sebaceorum ductus excretorios, pilos permeantes et filamenta *Hunteri* (?) cohaeret. Quum genesis epidermidis mucique Malpighiani parum dilucidata sit, experimenta facturus partim loca corporis mollia et naturalem indolem habentia, partim condensata callosaque disquisivi. Filamenta *Hunteri*, omnium organorum tenuissima, in iis maxima existere observavi, quorum integumenta communia callosa, rimosa, pluribus lamellis composita sunt. Proprie non filamenta *Hunteri*, sed vasa cutanea *Hunteri* appellari convenit, etenim viscida indoles humoris, in iis contenti, suspicari jubet, haec esse organa secretoria pabuli, quo mucus Malpighianus et epidermis alantur. Quae si vera sunt, partim in vasis hisce ponenda est causa

---

1) L. c. pag. 32 sq.

callorum, quos epidermis quandoque induit, partim tutelae, qua natura corium ab incitamentis externis defendere conatur, qui quidem processus hunc typum sequi videtur: epidermis, causis diuturnioribus, aut valentioribus, vel mechanicis vel chemicis affecta, ut frictione, calore, materiis morbificis etc., a muco Malpighiano et corio, quibuscum per vasa *Hunteri* imprimis commercium alit, segregatur, quae segregatio quidem gradu differt, nunquam non autem cum irritatione auctaque actione illorum vasorum juncta est. Actio exaltata muci secretione adaucta sese expromit, qui inspissatus novam fingit epidermidem; unum ergo idemque segregationis et instaurationis est momentum; quum vero nova cuticula super priori formetur et materie liquida, sensim indurescente, componatur, per indolem viscidam cum facie inferiori epidermidis priscae conglutinatur ejusque desquamationem praepedit. Permanente stimulo externo, altera epidermis eandem vicissitudinem, quam prisca, experitur, subter utraque igitur tertia oritur, alteri adhaerescens, eodemque modo, depositis pluribus cuticulis aut lamellis, inter se conglutinatis, totum quoddam formari potest, quod callus appellatur. Desquamatio, seu exfoliatio epidermidis evenire tantum videtur, si mixtio muci materie quadam morbifica alienatur, quod in plurimis exanthematibus accidit. His praemissis, hominum crustaceorum deformitatem ejusque genesin interpretari periclitabor.

Causa duplex subesse mihi videtur, nimirum praedisponens et consecutiva. (occasionalis?) Illam cerni existimo in degeneratione folliculorum sebaceorum, certe in praepedita secretione smegmatis cutanei in partibus vestitu velatis. His enim cuticula ad rigiditatem prona redditur, rimas fissurasque agit, e quibus lympha morbosa, viscida, in crustas durescens, scaturit, graduque mali increscente, epidermidem multis stratis et lamellis obducit. Haec lympha, quod crustae lixivio caustico aliisque fluidis subactae probant, partibus terraneis, pinguibus et mucosis consistere, ergo substratum muci Malpighiani, seu contenta vasorum cutaneorum *Hunteri* exhibere videtur, cujus morbosa et luxuriosa secretio haud dubie a vasorum laesione, aut majori irritatione pendet. Mixtio lymphae morbosae coagulabilis retentione smegmatis cutanei explicatur, quod muco effuso additum, partes ejus pinguinosas sistit. In plantis pedum, volis manuum et natibus hominum crustaceorum cutis plus contractilitatis et lubricitatis offert, pori quoque sub oculos cadunt; nonne adeps, hisce locis uberior, majorem cutis lubricitatem et crustarum defectum efficiat? Ubi enim crustae aridae sunt, durae et fissae, molestias aliquas hominibus concitant, quanquam corporis vitium in consuetudinem paene adductum est." *Tilesius* alteram explicandi rationem superaddit, etenim „rimae, inquit, fissuraeque cuticulae pro effectu crustarum haberi possunt, quo in casu genesin primitivam crustarum per anomalam smegmatis cutanei mixtionem, lympha coagulabili temperatam ejusque secretionem morbose adauctam, interpretari oportet. Dantur exempla, quibus phaenomena minus singularia similibus causis explicantur, ut crusta flavida in palpebris lippientium, crusta foliata in locis pilosis capitis infantum etc. Hacce cum theoria intime conspirat crusta, frontem *Richardi Lambert* occupans (vid. Cap. I.), quippe quae, a reliquis crustis mirum in modum diversa, eandem texturam lamellosam prae se gerit."

Ceteroquin silentio praetereunda non est sententia *Autenriethii*[1]), qui homines crustaceos, a *Tilesio* descriptos, gentis Africanae fuisse judicat.

Longe alia multoque pauciora *Hinze*[2]) proposuit, ad illustrandam causam atque genesin deformitatis, in secundo hujus opusculi capite descriptae. „Supra, inquit, relatum est, chirurgum, qui primus adiit puerperam, pro elephantiasi morbum infantis habuisse. Quodsi nomen morbi a symptomatibus observatis et supra expositis derivare velis, denominationem illam aptissimam censeo; sin ad causam, originem et medendi methodum nomen morbi conformandum putes, lepram Graecorum appellari oportet. Elephantiasis nimirum neque indolem veneream habere, neque remediis mercurialibus, sed ledo palustri sanari dicitur; leprae autem Graecorum saepissime venenum syphiliticum subesse curaque ejus radicalis usu mercurii interno et externo perfici traditur. Quodsi utramque sententiam ad exemplum nostrum retuleris, facile me excusabis, a certa evidentique explicatione abstinentem. Ingenue autem confiteor, si causas morbi remotas animo perpendam, non aptius nomen posse inveniri, quam *lepra* seu *elephantiasis leprodes*. Persuasum scilicet habeo, virus syphiliticum, matris corpori insitum quanquam larvatum, vi lymphatica inter graviditatem adaucta, ad uterum esse deductum, ibique partim conjunctum, partim temperatum dyscrasia humorum scorbutica, abusu ciborum nimis salitorum spiritusque vini coorta, inter foetus evolutionem partes principes ad conformandum morbum egisse. Haecce hypothesis, hypothesin enim esse fateor, confirmari videtur matris vivendi ratione, de qua supra relatum est, quippe a probabilitate non abhorret, virus syphiliticum cum scorbutica materie se conjunxisse eademque temperatum esse. Nullus autem dubitabo, hancce hypothesin dimittere, si quis peritior medicus erroris me convincat."

Superest, ut quaedam proponam, ad infantem a me descriptum pertinentia (Cap. IV.). Primo nimirum pro explorato habendum est, deformitatem integumentorum modo epidermidem respicere, non cutem, quippe quae integra subter squamis apparet. Generatim ergo adstipulor *Tilesio*, qui secretione materiae cujusdam plures epidermidis lamellas formari atque inter se conglutinari judicat; quum vero multa sint ambigua, quae *Tilesius* de indole secreti, de muco Malpighiano et de organis secretoriis dixit, rem clarius dilucidari existimo, si dicas, vasa cutis arteriosa, tam hujus nutritioni, quam epidermidis instaurationi providentia, nostro in casu secrevisse humorem morbo alienatum, qui, causa nescio qua, majori praeditus visciditate, forsan etiam coalugabilitate, in plura coiit strata, quorum quae vetustiora, duriora et a cute remotiora, laminam superiorem, quae molliora humidiora corioque propiora, laminam inferiorem fingerent. Quo longius a cute recesserunt laminae, eo aridiores atque rigidiores factae, rimas tandem egerunt fragmentaque variae magnitudinis et figurae reliquerunt.

---

1) *Voigts* Magazin d. Naturkunde Bd. III. H. 4. pag. 687.

2) L. c. pag. 43 sq.

EXPLICATIO TABULAE.

Fig. 1. Infans cutis turpitudine defoedatus ab antica parte.

Fig. 2. Pars cuticulae detracta.

a. Epidermis ab externa parte, laevissima, durissima; *b.* ejusdem pars reclinata, quae interne fibras corneas acutas sistit; *c.* epidermis recentior extrorsum porosa, fibras illas recipiens, interne qua corium spectat d. fibrosa.

Fig. 3. *a.* Cuticulae internae recentioris superficies fibroso-papillosa; *b.* cutis porosa; *c.* qua fibrae dictae emergunt.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Lien est diverticulum sanguinis ventriculi, feriante digestione.

II.

Amputatio, quam vulnera indicant, protinus post laesionem facienda est.

III.

Congestio sanguinis non est inflammatio incipiens.

IV.

Acari non causam scabiei sistunt, sed effectum.

VITA

EX DECRETO GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS ADJECTA.

Ego Augustus Fridericus Steinhausen, evangelicae addictus confessioni, natus sum Blankenburgi ad Hercyniam, anno MDCCCII patre oeconomo, matre de gente Brosingiana. Prima litterarum elementa in Lyceo Blankenburgensi et Ilefeldensi ad annum aetatis decimum sextum percepi, quibus instructus, Berolinum me contuli et anno MDCCCXIX in numerum alumnorum Instituti Regii chirurgico militaris Friderico Guilelmani receptus sum, in quo per quadriennium commoratus, scholas ad medicinam et chirurgiam pertinentes frequentavi: de philosophicis Cel. Wolff, de chemia, physice et pharmacia Illustr. Hermbstaedt et Cel. Turte, de botanice atque historia naturali Illustr. Link. Anatomia universali theoretica, neque minus arte cadavera dissecandi Illustr. Rudolphi, Illustr. Knape et Cel. Rosenthal me instiuterunt. Entozoorum historiam, encyclopaediam medicam et anatomiam organorum sensuum Illustr. Rudolphi, pathologiam generalem et semioticen Cel. Fr. Hufeland me docuerunt. De physiologia Illustr. Rudolphi, Illustr. Koreff et Cel. Eck, de magnetismo animali Cel. Wolfart disserentes audivi. Pathologiam specialem, praelectiones de morbis syphiliticis Illustr. Horn, artem formulas concinnandi, anthropologiam forensem Illustr. Knape, et lectiones de materia medica et fontibus medicatis Cel. Osann mihi tradiderunt. Illustr. de Graefe, Illustr. Rust, Illustr. Kluge chirurgiam tam specialem, tam generalem, neque minus operationum chirurgicarum cursum mihi illustrarunt, et Cel. Jüncken ophthalmiatricen mihi exposuit. Therapia generali ac speciali ab Illustr. Christ. Guil. Hufeland, Illustr. Horn et Cel. Fr. Hufeland imbutus sum. A Cel. Kluge artis obstetriciae et theoreticae et practicae cognitionem, fascias applicandi praecepta et doctrinam de ossibus fractis et luxatis cognoscendis et carandis accepi. Exercitationibus clinicis medicis et chirurgicis Illustr. virorum Chr. Guil. Hufeland, Rust, Neumann et Kluge auspiciis interfui. Relicto Instituto regio, in Caritatis Nosocomio chirurgi munus per annum obii, dein Quedlinburgi in legione equestri septima cataphractorum chirurgi militaris munere per quadriennium functus, Berolinum redii, ut absolutis examinibus doctoris medicinae honores obtinerem.

Superatis tentaminibus philosophico et medico, nec non examine rigoroso, fore spero, ut summi in utraque medicina honores mihi deferantur.